



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

11. Quis sit proximus, qui vulneratis debet succurrere?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

faucios milites, & eos, qui jam per ætatem bellum gerere non possent, habitare iussit. Tanti Ethnicus vel senio, vel morbo graues fecit. C. Iulius Cæsar, teste Suetonio, C. Oppium valetudine subita correptum, in itinere non dereliquit, sed humi ac sub dio cum eodem aecubuit. Tiberius Cæsar Rhodi omnes egros notos & ignotos visitauit. Sed longè magis nõrunt æstimare pretium charitatis, in schola Christi versati. *Quidam frater requisit senes, dicens: Si duo fratres in una sunt cella, & ille quidem vnus sex diebus integris ieiunat; ille autem alter infirmitati facit obsequium; cuius ergo opus maius est apud Deum? Respondit senex: Si ille qui ieiunat sex dies, per nares se suspenderit, non erit similis illi alteri in conspectu Dei.* Bona sunt ieiunia, bonæ vigiliæ, bonæ orationes, bonæ corporis afflictiones: sed maior horum est charitas.

Heriberti  
Rolyveid. l. 7.  
de vitis PP.  
cap. 19.

Ad quem autem pertinet hanc exercere charitatem? Vno verbo respondet Christus: ad proximum: *Et quis meus est proximus?* inquires. Hoc ipsum quoque docet Christus in parabola Samaritani. Quamquam non sunt tantum proximi charitate, sed etiam obligatione. Samaritanus proximus fuit charitate, Sacerdos, & Leuita proximi erant obligatione. Erubescendum est, sæpe eos minus facere, qui deberent ex officio facere; & alienos esse domesticis liberaliores. Parentes filijs, filios parentibus agris succurrere debere, naturæ lex est. Idem lex matrimonij iubet, de qua re luculentum sanè coniugalis charitatis exemplum alibi dedi, in Clara Ceruenta Bernardi Valdauræ conjugæ, quod et si & huc spectet, hinc tamen non est repetendum. Sed id maximè etiam pertinet non solum ad seruos & ancillas erga dominos & dominas, verum ad ipsos etiam heros & heras erga famulos & famulas, ne eos eijciant è domo ægrotantes, quos libenter habuerunt validos & laborantes. Quæ ista est immititas? quæ inhumanitas, claudos, debiles, infirmos, qui in domum inducendi essent, ex domo & tectis expellere? Christum ipsum à vobis, ô inhumani, expellitis, à cuius vestigijs nimis longè abestis. Suscepit ille infirmos, curauit, sanauit. Quod neque Angeli officium detrectauerunt.

XI.  
Luc. 10. 29.

Tom. 2. de  
Iudicijs, quæ  
Deus exercet  
in hoc mun-  
do. cap. 24.  
§. 9.

*Ægrotauit aliquando senex quidam, qui solitarius habitabat:*

XII.

Bbb 3

& Heriberti.